DE

DIAGNOSI ET CURA ULCERUM,

QUAE DICUNTUR,

VENEREORUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICO-THERAPEUTICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXV M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXIX.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

ISAACUS TRIER,

HAVNIENSIS,

CHIRURGUS SUBSIDIARIUS NOSOCOMII HAMBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. SEIFER, JUR. STUD.
A. DAVID, MED. ET CHIR. DD.
M. J. KEISER, MED. DR.

BEROLINI,

TIPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS,

S. R. THAL

PROFESSORI, PROTOCHIRURGO NOSOCOMII COMMUNIS HAVNIENSIS, PLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI,

J. SANDTMANN

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, PROTOMEDICO NOSOCOMII COMMUNIS HAMBURGENSIS, ETC. ETC.

J. C. G. FRICKE

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, NOSOCOMII HAMBURGENSIS PROTOCHIRURGO, COLLEGII PRO SANITATE PUBLICA TUENDA MEMBRO, ETC. ETC.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

UT PARVUM INDIGNUMQUE VENERATIONIS ET GRATIAE SIGNUM

PIA MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Disputaturo mihi de diagnosi et cura ulcerum, quae dicuntur, venereorum, primum consilium erat, varia medicorum a primis inde temporibus de hac re verba colligendi, sententias eorum differentes inter se comparandi, et hoc praesertim modo, quam incerta esset diagnosis, comprobandi. Quum vero hoc opus inire vellem, mox vidi ejus difficultates, quas superare haud valuerim. Librorum enim de hac re scriptorum multitudo in hac urbe haud facile potuit inveniri; quod si etiam fieri potuisset, ejuscemodi opus, quod haud parvum tempus poscit, nimis fuisset magnum ne dicam immensum. Quum igitur certior factus essem, *Hunteri* et *Astruc* et novissimo tempore etiam *Rust* asserta a plurimis autoribus, qui post illos scriberent, esse repetita et interdum ad verbum usque relata, satis fuisse putavi, si in illorum descriptionem accuratius inquisiverim. Ipse jam multos aegrotos talibus laborantes ulceribus et vidi et curavi; hujus igitur opusculi finem me persequutum esse credo, si, sententiis celeberrimorum illorum scriptorum praepositis, differentiaque inter eos prolata, propriam meam sententiam declaravero.

Quum is, qui in dignoscendis morbis errat, facere fere non possit, quin in curandis quoque turpiter se det, erroresque committat, quibus ipsa aegrotorum vita in praesens periculum adducatur: apparet, quanto studio in ea re elaborandum sit medico, ut diagnoseos morborum certas quasdam regulas inveniat, easque et penitus perceptas habeat et frequente usu confirmatas. Nimis autem saepe fit, ut peritissimus ipse artis medicae et chirurgicae fateri debeat, se indolem morbi cujusdam nescire. Arti nostrae valde nocet, quod morbi raro observati sunt vel observantur, nisi ita, ut simul medicamenta aegrotis porrigantur, qua re dubitatio oritur, symptomata, quae adsunt, utrum morbi praesentis an remedii adhibiti sint effectus. In plurimos morbos magna remediorum cohors quoad indolem magnopere dissimilium cum eodem successu ab autoribus allata est. Quamvis autem experientia usum eorum benificum affirmare videatur, tamen quaerere licet, num observarent medici, quae esset natura morborum illorum medicaminibus adhibitis nondum mutata. Nonne saepe fit, ut vires medicatrices naturae, deminutionem, ut ita dicam, sanitatis tollant, et, ubi medicamenta nocent, valetudinem ad rectam viam, a qua declinarat, reducant? Equidem, jam diu in nosocomiis versatus, his de rebus saepe cogitans, illos praecipue morbos, in quibus curandis plerumque venena adhibentur, si nulla tractatione mutantur, sedulo et distincte observabam; remediorum multorum et periculosorum semper eram adversarius, remedium autem qualecunque, quo sanatio celerius sine periculo institui poterat, grato animo accipiendum putabam.

Morbus qui dicitur venereus inter omnes quoad diagnosin fortasse est difficillimus, quoad tractationem autem facillimus, quippe cujus sanatio sine ullo

aegroti periculo perfici potest. Abhorret ad hoc opusculo omnia hujus morbi symptomata explicare, de diagnosi igitur modo et de tractatione ulcerum pauca loquar.

Ulcera syphilitica divisa sunt in primaria et secundaria. Primaria dicuntur, quae proveniunt in ea parte, quae in coitu vel alio modo locum quendam syphiliticum tetigit, secundaria vero vel consecutiva, quae, affectione venerea praegressa, quamvis tam parvi momenti sit, ut omnino non observetur, e malo universali originem ducunt atque vel in infecto ipso loco vel in aliis corporis partibus apparent. Sunt, qui opinentur, ulcera secundaria sine affectione primaria interdum oriri, et viro, quod dicunt, syphilitico absorpto procreata esse. Sed num illa divisio ullam secum affert utilitatem? Non ignoro, remedia ulcerum syphiliticorum secundum nonnullorum experientiam varianda esse, ubi primaria et ubi secundaria sint. Verum equidem mihi persuasum habeo, loci modo et gradus ulcerum rationem esse habendam. Quomodo differt ulcus penis jam sanatum rursusque erumpens ab ulcere cruris, quod saepissime easdem sequitur leges? Qui ulcere cruris semel laboravit, periculum subit, ut morbus recrudescat, ut ille, qui ulcere partium genitalium semel aegrotavit. Haud solum ulcus cruris, sed etiam plures morbi cutis, quamvis sanati sint, saepe revertuntur. Herpes, scabies, prurigines et plures morbi ejus generis sine causa cognita, breviore vel longiore tempore intermisso, post sanationem saepenumero redeunt. Et si fortasse ulcera genitalium saepius quam caeterarum corporis partium sponte sine causa cognita recrudescunt, tum certe semper observatu dignum est, annon structura peculiaris partium genitalium ulceribus revertentibus faveat. Glans, quae cuti tenuissima tegitur, praeputii structura, materia, quae abundanter inter glandem et praeputium secernitur, sebum illud singulare, quod huic regioni proprium est, sine dubio multum efficiunt. Sed nonne majori jure ulcera faucium secundaria appellanda sunt? Nam etiamsi virus venereum adesse concederem, tamen inde non efficeretur, divisionem in primaria et secundaria magis rectam et justam esse, quam si vellem eum dividendi modum sequi in scorbuticis et scrophulosis, quem nemo sequitur. Sed uti inter mammas et uterum, uti inter glandulam parotidem et testiculos, ita etiam inter partes genitales et fauces sympathica aut metastatica con-

junctio adesse potest, qua saepe fit, ut altera parte aegrotante, altera eodem tempore vel serius morbo laboret.

Ulcera totius corporis numquam ipse vidi, quorum origo potius in solo coitu impuro, quam in alia quadam causa, exempli gratia in abusu mercurii vel in sordibus quaerenda fuerit.

Ulcera syphilitica porro in benigna et maligna et in varias classes dividi solent; et jure quidem, si ea divisio varios ulcerum gradus spectat; male autem, si sua cuique classi indoles diversa tribuitur. Cum autem facile pateat, loca corporis diversa ulcerum divisionis fundamentum praebere, hac de re nil amplius dicendum est.

Interroganti, qualia esse soleant symptomata ulceris syphilitici penis, plurimi nostrae artis periti sine multa meditatione responderent; haererent autem fortasse, ubi de ulceribus penis non syphiliticis instituta esset quaestio.

Sed antequam hac de re uberius loquar, liceat mihi nonnulla praemittere, quibus adversarios refellam. Si duo aegroti ulceribus similibus laborant, et in altero eorum post mercurii usum, in altero vero sine hydrargyri auxilio ulcus sanatur, haud contendi potest, ulcus prioris, quamvis multis remediis incassum tractatum post hydrargyrum vero sanatum sit, venereum fuisse; nam quis affirmare ausit, futurum non fuisse, ut sine ullo remedio ulcus sanaretur? Nonne saepe accidit, ut ulceris venerei sanatio haud succedat, antequam, mercurio reposito, aliud remedium in subsidium vocatum sit? Nonne saepe accidit, ut ulcus cruris simplex, multis remediis incassum tractatum, ope remedii nullius momenti, quod antea in simili casu sine ullo usu adhibitum erat, sanetur?

Ut in universum ulcera omnia, ita ulcus, quod dicitur venereum, omnes morbi periodos vel stadia certa percurrat necesse est, antequam ad scopum, id est, ad sanationem perveniat. Multis autem remediis, praecipue fortibus, morborum decursus certe retardari potest, quin eo modo novos vidi formatos morbos; verum paucis remediis iisque mitissimis saepe fit, ut impedimenta sanationis removeantur. Isque scopus est, quem medicus semper ante oculos habere debet.

Sed redeundum est ad definitionem ulceris syphilitici, quae sine dubio symptomatibus illis, in quibus optimi de syphilide autores congruunt, consti-

tuenda esset, nisi celeberrimi ipsi scriptores de definitione dissentirent, ita ut quae symptomata alius magni momenti habeat, alius quidem ne flocci quidem aestimanda esse censeat. Solet a pluribus ita definiri ulcus syphiliticum, ut vel statim vel diutius post coitum aut alium infectionis modum e papula rupta vel in excoriationem mutata ortum sit, ut fundum durum habeat, materiam lardaceam secernat, circumdatum sit marginibus albidis, elevatis, duris, angulatis, praemorsis, reclinatis, ut includatur ambitu intense rubro tumidoque, et ut cum semper tum praesertim attactu doleat facileque sanguinem effundat. Sunt, qui addant, materiam ulceris aqua haud bene ablui posse, et ablutam, cito restitui, ulcusque, sibi ipsi commissum, semper crescere, et, nisi mercurio tractetur, haud sanari.

Haec vulgaris est ulcerum syphiliticorum definitio, quamquam secundum varia loca atque secundum varium gradum valde differunt. Sita sunt nempe aut in partibus genitalibus, aut in ore nasoque, aut in superficie totius corporis. Ulcera genitalium aut crusta ornata sunt, aut ea carent. Si sedem habent ad corpus vel radicem penis, ad superficiem externam praeputii, ad scrotum, ad labia majora, ad montem veneris, in perinaeo et circa anum, ut verbo dicam, si adsunt in regione, quae additamento cutis haud tecta est, id est, ubique in totius corporis superficie, praeter in pudendis internis, cavitatibusque, crusta ornata sunt, qua ablata, mox nova formatur, nisi id medici cura impediatur. Ulcera vero, quae locum habent ad glandem penis ejusque coronam vel apud frenulum, ad superficiem praeputii internam, vel in sexu sequiori ad labia minora, inter minora et majora, ad clitoridem, circa orificium urethrae, in fossa naviculari, et ut universe loquar, quaecunque ulcera in parte quadam operta haerent, crusta nulla teguntur.

In ore, in superficie anteriori parietis posterioris pharyngis, ad tonsillas, inter uvulam tonsillasque, pone uvulam, ad radicem linguae, ad gingivam locum habere solent ulcera, quae numerum trium raro transgredi dicuntur, quae semper ex excoriationibus superficialibus exeunt et postea profundiora fiunt.

Ea autem, quae in caeteris corporis partibus inveniuntur et serius oriri solent vulgo crusta operta sunt, atque hac crusta remota, adspectum oculis praebent, qui supra descriptus est.

Ut caeteri morbi, ita ulcus, quod dicitur venereum, sibi ipsi relatum, varia ut ita dicam, stadia percurrit, id est, tempore vario, variis cernitur symptomatibus. Aegroti constitutio, aetas, vitae genus efficiunt, ut singulae periodi in alio celerius in alio tardius finiantur. Papulam illam ab autoribus tam saepe nominatam ipse rarius vidi, saepius excoriationem levem, quam ulcus sequutum est, observavi; interdum aegrotos audivi affirmantes, se ulcus jam profundum animadvertisse, etsi nec graviori nec leviorimalo antea laborassent. In viro aegroto quodam, a me in nosocomio Hamburgensi tractato, qui jam ulceribus pluribus praeputii laboraverat, advenit in praeputio papula parva valde elevata, ambitu sat elevato circumscripta. Post duodecim fere horas rupta erat et ulcus diametri duarum fere linearum, fundo puro superficiali paullum modo suppurante oriebatur; pus tenue flavo-albescens fundo haud valde adfixum erat; margines fundo haud elevatiores, ambitus fere non inflammatus. Pruritus percipiebatur, nullus autem dolor. Quamvis tractatio hujus ulceris solito modo statim instituta esset, nihilo tamen minus ulcus in dies in pejus vertit, ita ut duobus diebus post ita mutatum esset, ut diameter fundi tribus fere lineis aequalis, mollis esset, colorem autem haberet cupro-bruneum et flavescentem pusque condensius esset lardo similius, firmiusque quam antea adhaereret, ita ut margines elevatiores praemorsique apparerent. Dolores leves. Omnia fere ulcera, quae a me observata sunt, haec duo stadia percurrerunt; et saepius ulcera ad ultimum statum jam pervenerunt, ubi aegroti in nosocomium transportabantur. Ulcera autem haec, ubi ad sanationem vertuntur, e pejori statu per diversos gradus iterum in meliorem transgrediuntur. Ulcera, quae in nosocomio saepissime a me conspecta sunt et ex illis oriunda esse solent, fundum diametri trium vel quatuor linearum habebant inaequalem, profundum durumque, pure autem lardi simili tectum, quod difficile erat ablutu, aut, si vi conamen institueretur, sanguinis effusionem ex ulcere effecit. Margines erant elevati, praemorsi, angulati, reclinati, interdum paullo albentes, circumdati ambitu e nigro rubriori (*dunkelroth*). Dolor autem horum ulcerum major est quam illorum. Sunt qui *Hunteriana* nominent; verum Cel. *Hunter* nullibi definitionem ulcerum syphiliticorum certam proponit, sed modo hic modo illic symptomata affert. Talia ulcera apparent aut post papulas ruptas aut post excoriationes. Interdum vidi ulcera majora,

fundo profundo, quae nullo proprio muco aut pure, sed lamina, ut ita dicam, carnea, tecta erant, quae, quamvis digitis removeri nequiret, a fundo soluta erat, atque corruptum inaequalemque et quasi e mortuum habuit aspectum, maculisque cinereo-nigris intertexta erat. Margines eorum erant praemorsi, reclinati, ambitus autem valde rubens. Haud raro antequam talia ulcera sanantur, fundus eorum margines magnopere superat, eosque tegit, spongiaeque instar elevatus est atque convexus, quamquam a papilla carnea luxuriante eo differt, quod in superficie sua globosa maculas gangraenosas habet intermixtas. Jam statim ab initio talia ulcera gangraenosa interdum elevata esse animadverti. Temporis spatium, quo ulcera ex alia classe in aliam transgrediuntur, valde diversum est, modo trium vel quatuor dierum, modo permultorum. Quid? quod aliquoties ulcus primo descriptum intra paucos dies in gangraenosum transmutatur. Sunt autem multa, quae pejorem indolem prorsus non induunt, sed mox sanitati restituuntur; cujus differentiae causam invenire haud difficile est. Vir enim, qui exulceratus ad genitalia quietem et munditiem statim observat, raro vel numquam ulcus patietur gangraenosum; ille autem, qui dum ulcere quoque levissimo laborat, stuprum exercet vel saltat, vino fruitur et nullam in munditie curam ponit mox ulcere pessimae naturae aegrotabit.

Qui condylomatibus semiglobosis, humectantibus laborant, attritu saepe ulcera formari experiuntur, quae in mediis condylomatibus apparent, profundiora sunt, materia humectante, tenui atque albescente teguntur atque margine et ambitu valde elevatis rubrisque circumvallantur.

Interdum ulcera omni resistunt tractationi et diu nec meliora nec pejora fiunt, sed omnino immutata perdurant. Gangraenosa autem ulcera antequam meliorem speciem prae se ferunt, gangraenosa omnia secernunt. In universum ulcera ita sanantur, ut, inflammatione ambitus diminuta, margines planiores fiant, fundus concavus in convexitatem transeat, e marginibus cuticula recens, initio caeruleo-albescens appareat, quae in dies usque ad perfectam cicatricem versus centrum se extendit. In ulceribus minoribus, quae creberrima sunt, fere semper haec est prima cicatricis origo, in majoribus vero cutis ad modum insularum aut pontium eodem tempore, quo margines prorepunt, emergere solent.

Quum ulcera, de quibus loquimur, varia sint et tempore et gradu et specie,

ulceris syphilitici recte definiendi difficultas apparet. Omnes fere autores in eo consentiunt, quod aliquam ulcerum venereorum cum caeteris ulceribus similitudinem esse statuant; ita tamen, ut alii diagnosin oculo experto facilem, alii vero difficilem esse dicant; signa autem distincta nemo affert. Atqui, quomodo fieri potest, ut res, quae quavis die, atque adeo hora mutari potest, certis describatur symptomatibus? Secundum definitiones, quas apud principes autores, qui de hac re scripserunt, inveni, ulcus primo die syphiliticum, secundo die innocens et tertio rursus syphiliticum esse potest.

Cel. *Hunter* in opere, quod scripsit, de syphilide, ulceris syphilitici definitionem certam haud praebet. Nam ejus symptomata hic et illic dispersa in suo libro edidit; et ipse affirmat, ulcera non syphilitica syphiliticis interdum tam similia esse, ut sibi persuasum habeat, multa haud venerea, quasi venerea sint, esse tractata. Vulgo autem, ita pergit autor ille, dignoscuntur ulcera, quae haud venerea sunt, quia nec tam cito nec tam late crescunt, haud valde dolent, haud multum inflammata sunt, basin tam duram non habent nullosque procreant bubones. Ulcera vero mitissima cum iisdem symptomatibus connexa esse posse, idem quoque contendit autor. Alio loco nobis refert, ulcera, aeri exposita, crusta tegi, si vero in pudendis internis sedem habeant, ea semper carere. *Hunter* difficultatem certae definitionis inveniendae observans definiendi labore prorsus supersedit, cum discrimen, quod esset inter ulcus syphiliticum et haud syphiliticum, docere non posset, certa definitione, ut vulgo datur, lectorem fallere noluit; monet modo, diagnosin haud facilem nec nisi pluribus observationibus factis certam esse.

Astruc ille e contra ulcuscula cancrosa sive cariem pudendorum, quae vulgo chancres dicitur, claris verbis ita definit. „Sunt ulcera exigua, superficialia, parum cava, rotunda; callosa, contumacia, quae ex venereo contagio in pudendis succrescunt ac frequenter repullulant." Deinde ita pergit: „Ulcuscula venerea in viris balano quidem, balani coronae, freno et internae praeputii parti insident, numquam vero externae ejusdem faciei aut reliquae cuti, qua penis vestitur: in feminis vero vaginae quidem aut vulvae interiora occupant, numquam vero pudendi exteriora." „Facilis est diagnosis naturae morbi ex descriptione supra allata. Solent quidem in iisdem partibus citra contagium venereum

exco-

excoriationes interdum fieri, si cum muliere res habeatur, cui menstrua acriora actu fluant, vel paulo ante fluxerint, aut quae fluore muliebri mordaciore laboret; imo etiam sine concubitu, si nimia fuerit acrimonia humoris, qui e sebaceis vasculis scaturit in viris, et sub praeputio in sordes colligitur, nisi eluatur. Sed excoriationes hujuscemodi ab ulceribus venereis ex eo distinguere facile est, quod cutem superficialiter tantum lambant, quod late et irregulariter serpant, quod nullis callis obsideantur, et quod cito exsiccentur vel sponte vel sola lotione cum vino solo aut cum herbis vulnerariis infuso. Contingit etiam, quamquam rarius, in iisdem locis ulcera generari vulnere, abscessu, rosione perinde ac in caeteris quibusve partibus; sed haec ulcera ab ulcusculis venereis in eo evidenter discrepant, quod lata, irregularia, profunda sunt, uno verbo, quod notis caeterarum partium ulceribus adamussim similia sunt, ideoque ulcusculis venereis tanto magis dissimilia."

Illi autores longe principes, qui eodem saeculo de syphilide scripserunt, sententia ita inter se discrepant, ut, dum alter diagnosin facilem esse declaret, alter nil ea difficilius esse affirmet.

In bonis artibus nulla valet autoritas, et, ubi litem doctorum componere nequimus, licet nobis nostram sententiam proferre, quibusque argumentis nitatur, ostendere. Nata illa est ex iis, quae vidimus, quae observavimus, quae egimus. Amicus *Plato*, amicus *Socrates*, sed magis amica veritas.

Secundum Cel. *Hunteri* sententiam ulceribus syphiliticis symptomata propria et diagnosis certa haud adesse videntur, sed quum, illo autore, magni momenti sit, ulcere syphilitico praesente, hydrargyrum porrigere, confiteri veretur *Hunterus* dignosci morbum haud posse, et ut solum signum certum et distinctivum affert, quodcunque ulcus, quod sine mercurio haud omnino sanetur, venereum esse; illud vero signum minimi est aestimandum; nullam enim nobis praebet curandi indicationem et eodem jure dicere possumus, quodcunque ulcus, quod sine hydrargyro sanetur, syphiliticum haud esse. Alias nullibi loquitur autor ill. de signo illo distinctivo. Id quod affert *Hunter*, ulcera syphilitica in omnibus locis oriri posse, omnia symptomata vehementiora esse, si ulcera venerea sint, symptomata tam incerta sunt, ut nullum nobis in dignoscendo dent auxilium.

Astruc vero Cel., nullam distinguendi difficultatem inveniens, de symptomatibus et de sede ulcerum venereorum summa cum certitudine loquitur. Ubi sermo est de ulceribus, quibuscum commisceri possint ulcera venerea, modo obiter de ulceribus, quae post coitum impurum vel ex sordibus et squalore oriri possunt, loquitur. Sed ea describens ulcera nec refert, aspectum, si negligantur, omnino mutari, et syphiliticorum instar fieri; neque ulcera venerea haud ab initio, ita ut ab illo ipso describantur, fuisse, sed saepius ut excoriationem simplicem primum apparuisse. De ulceribus alia ex causa ortis, quibuscum commisceri possunt ulcera venerea, omnino tacet *Astruc*. *Hunter* tacuit, quum sciret, se diagnosin haud praebere posse certam; *Astruc* vero, quum crederet, ulcera venerea haud facile cum aliis commisceri posse. Ut *Hunter* et *Astruc*, ita multi, qui eos sequuti sunt autores, inter se dissentiunt. In hoc opusculo mihi haud in mentem venit, sententias varias omnium autorum, qui de syphilide scripserunt, proponere; satis mihi erit, principes afferre; e quarum varietate jam facile probari potest, diagnosin ulceris syphilitici semper esse incertam.

Rust quoque ill. in helcologia de ulceribus syphiliticis loquitur. Sed num ejus ulceris descriptio distincta est? Primum loquitur de infectione, dein phlyctaenulam, quae oriatur, affert, ex qua rupta ulcusculum excoriationi haud omnino dissimile (*Geschwürchen, das einer blofsen Excoriation nicht ganz unähnlich ist*) nascatur. Sed illud ulcusculum excoriationi haud omnino dissimile, quale est? qualis est dissimilitudo? Si nulla adest differentia, haecce observatio omnino nil dicit; si adest, accuratius erat describenda. Quod cur non factum est? Postquam dein autor ulcus cum marginibus albidis, callosis, ambitu rubro descripsit, de basi vel fundo ulceris his verbis loquitur. „*Auch die Basis des Geschwürs ist gewöhnlich hochroth und entzündet; da aber immer, der Eigenthümlichkeit dieser Geschwüre gemäfs, eine gröfsere Quantität Eiters abgesondert wird, als Geschwüre anderer Natur nach dem Verhältnisse ihres Umfanges enthalten würden: so hat gewöhnlich der Grund der venerischen Geschwüre auch ein speckartiges Ansehen.*" Quomodo vero haec verba intelligenda sunt? Primum autor nobis affirmat, basin ulceris intense rubrum esse, et statim deinde tamquam consequens illius, quam nobis affert, rationis contendit, fundum ulceris venerei vulgo aspectum quoque habere

lardaceum. Id vero haud fieri potest, nam idem ulcus haud potest eodem tempore vulgo *(gewöhnlich)* et rubrum et lardaceum esse. Dein autor noster porro refert, pus, quod secernitur modo crassiori, modo tenuiori gaudere consistentia, in genere colorem habere flavo-viridescentem vel albo-flavescentem, denique odorem proprium *(ganz eigenen Geruch)*, et, si linteo adsiccatum sit, splendorem (*und glänzt auf Leinen getrocknet, wie halb zerflofsenes Unschlitt*). Ulcera hujuscemodi in universum quoque dolore afficiunt, semper dilatantur *(breiten sich aus)*, numquam sponte sanantur *(heilen nie von selbst)*, recentia procreant in vicinitate ulcera *(erzeugen neue Geschwüre in ihrer Nachbarschaft)*, solito modo haec ulcera haud sanantur, basis vero quasi exsiccatur et citatricem ulceris praegressi magnitudini respondentem relinquit.

Ulcus omnibus symptomatibus supra allatis ornatum esse nequit; multa enim omnino sibi contradicunt; fundum et rubrum et lardaceum in eodem ulcere esse non posse, jam ostendi; quoad dolorem idem valet; vulgo dolent, dicit *Rust* i. e. interdum haud dolent. De caeteris signis infra meam afferam sententiam. Liceat modo mihi repetere id, quod jam semel dixi, aspectum cicatricis post ulceris sanationem ad signa diagnostica haud pertinere; id enim, quod sanatione perfecta apparet, nullam, dum morbus durat, praestat indicationem; et illud symptoma solum est in definitione, quod ulceri tamquam proprium adscribi posset. Caetera omnia symptomata partim verbis „in genere," „modo-modo" conjuncta sunt, partim in aliis quoque adsunt ulceribus. Ita puris consistentia modo crassior, modo tenuior esse dicitur, sed eadem verba, nonne eodem jure de omnibus ulceribus dici possunt? De colore puris idem valet. Ad odorem, quod attinet, vix habeo, quod dicam. Quid enim hoc sibi vult: odor proprius? Id de omni re dici potest, et ut signum, quo res ab aliis distinguatur, odor, qui haud distinctius, quam verbo „proprius" describi potest, afferri nequit. Linteum ulceris venerei pure madefactum, si siccum sit, splendorem habere dicitur quasi e sebo liquefacto *(halb zerflofsenen Unschlitt)*; id vero multis ulceribus pus secernentibus commune est. Praeterea affirmat *Rust*, haec ulcera semper dilatari. Quod ita demum fieri potest, si recta methodo haud tractantur. „Numquam sponte sanantur" *(von selbst)*; haec verba diverso modo intelligi possunt; si *Rustii* sententia est, ulcera genitalium, quae venerea vocat,

sibi ipsis relicta, nec aqua pura nec linteo sicco nec spongia a squalore et impuritate, quae in hac regione colliguntur, liberata, haud sanari, ejus sententia eadem est ac mea; si vero „sponte" intelligit, solitis munditiei regulis observatis, tum certe errat. „Recentia procreant in vicinitate ulcera" procreant *(erzeugen)*, quid hoc sibi vult? Cur ulcus venereum quasi mater est ulcerum sequentium? Cujuscunque generis sint ulcera, quae oriuntur, alia prius quam alia proveniunt, quod idem fieri solet in omnibus exanthematibus, ubi omnes corporis partes haud subito una vice, sed sensim sensimque adficiuntur. Quod in vicinis modo locis talia ulcera oriuntur, causa hujus rei in squalore potius et sordibus quam in indole horum ulcerum quaerenda est.

Spero, fore, ut mihi credant lectores affirmanti, me semper abhorruisse ab eo consilio, ut aliquem offenderem medicum. Est viri verum indagantis, autoritatem aliorum negligere, res in facto positas modo afferre. Descriptionem ulceris venerei a Cel. *Rust* factam retuli, quia ille vir ut princeps eorum laudatur, qui nostris temporibus de diagnosi morborum disputarunt. Ostendi descriptionem ejus haud accuratam esse, et secundum illa, quae adfert symptomata, ulcus venereum ab aliis ulceribus distingui haud posse.

Ulcera, quae varii autores docent cum ulceribus venereis facile commisceri posse, sed quorum diagnosis nusquam distincte proposita est, haec fere sunt.

Ulcera, quae in coitu vel sine coitu frictione oriuntur, quae sordibus procreantur, quae abusu mercurii proveniunt, quae oriuntur post inflammationem, quae post abscessuum rupturam, quae post usum salis anglicani in ore prorumpunt, quae in nodulis haemorrhoidalibus saepe apparent, aphthae, scorbutica, scrophulosa, artefacta.

Jam pauca loquar de illis ulceribus, a quibus syphilitica discernenda esse dicuntur, et videbimus, utrum haecce differentia clare pateat, necne.

Ulceribus in pudendis frictione ortis indolem saepe adscribi syphiliticam, omnes fere consentiunt scriptores; de diagnoseos difficultate iidem loquuntur, sed nullum afferunt signum distinctivum certumque. Necessitatem certae diagnoseos, quam constituere nequeunt, vident, et quum certi quid affirmare haud possint, tamen sibi ipsis et lectoribus, id quod nequeunt, diagnosin certam quasi ostendere cupiunt. *Girtanner* solus fortasse sui temporis est autor,

qui distinctis clarisque declarat verbis, numquam ea ab aliis discerni posse. *Monteggia* eandem laudat habetque sententiam. Ipse multos vidi viros eruditos, experientes; qui ulcus partium genitalium post coitum ortum non dubitabant ad syphilitica referre, quamvis symptomata in universum allata haud omnia adessent. Illi viri, quum haec dicerent, habebant, quod sequerentur, cum et scirent, ulcera genitalium in dies formam mutare, et, quae hodie venereorum similia non essent, cras eorum formam referre posse; et fortasse etiam putarent mercurialium remediorum omissionem nimis esse periculosam; equidem nullum agnosco discrimen. Sed sunt fortasse, qui interrogent, cur ulcera frictione orta non tam facile in partibus genitalibus, quam in caeteris corporis partibus sanentur? Negare haud possum, earum partium structura sanationem retardari posse; sed ubi ab initio munditiei cura geratur, ibi experientia ostendit, sanationem fieri citius, quam, ubi squalor et impuritas dominentur.

Si contenderem, ulcera syphilitica a scrophulosis, scorbuticis, aphthis, vulgo haud distingui posse, sine dubio errarem; nam symptomata distinctiora, quae ab omnibus autoribus clare describuntur, facile apparent. Sed vidi aegrotos constitutione scrophulosa vel scorbutica, qui diu post coitum, ulcere penis praesente, ulcera habebant, quorum signa characteristica haud ita aderant, ut ad certam classem redigi possent; et haec ulcera periti de diagnosi incerti hydrargyro tractaverunt. In hujuscemodi casibus diagnosis haud fieri posse videtur.

Quis est, qui certi aliquid de diagnosi ulcerum venerorum et post abusum mercurii procreatorum dicere audeat? Memini, me in nosocomio Hamburgensi meretricem vidisse, quae, postquam in nosocomio sat inclyto omnem remediorum mercurialium multitudinem exhauserat, ulceribus destruentibus faucium laboraret. De indole horum ulcerum dissentiebant, qui ea spectabant; unus e principibus Germaniae medicis contendit, malum esse syphiliticum, aegrotamque lacte caprino ab animali unguento mercuriali inuncto sanandam esse. Equidem haecce ulcera mercurialia esse putavi; experientia enim me docuit, in omnibus casibus, ubi tantae adessent destructiones, multitudinem remediorum mercurialium in usum vocatam fuisse. Si aegrotus quidem semel syphilide laboravit, et dein ulcera indolis haud certae habet, haec ulcera in suspicionem adduci solent; quod, cur fiat, nescio; nam aeque bene in tali homine ac in alio ulcera varii generis sine causa cognita provenire possunt.

Qui causam praegressam spectat ab inflammatione orta et abscessu rupto, ulcera syphilitica facile distinguit; sed, si ab initio morbus haud observatur, et coitus praegressus est, diagnosis fieri haud potest, et sexcenties in hujuscemodi casibus hydrargyrum sine dubitatione datum est.

Viros nonnullos medicos chirurgicosque, qui inter principes Germaniae eruditos summo jure numerantur, ante annum fere in nosocomio Hamburgensi vidi, qui ulcera syphilitica oculo suo multa experientia acuto ab omnibus caeteris ulceribus se distinguere posse contenderent; sed iidem tamen ulcus inter nympham et carunculam dextram virginis, cujus hymen adhuc intactum erat, mercurio sublimato corrisivo procreatum haud distinguere potuerunt, id quod libere fatebantur.

Principes in arte medica viri de diagnosi ulcerum syphiliticorum haud consentiunt; alter facilem esse contendit, altero nil ea difficilius esse affirmante; descriptionem ulceris venerei a viro, qui nostris temporibus vivit, illustrissimo prolatam, haud distinctam esse monstravimus; ulcera plura syphiliticis ita similia esse, ut experientissimus quidem saepe erret, ostendimus; viros in nostra arte experientissimos, celeberrimos ulcus arte procreatum ab ulcere venereo distinguere haud potuisse, narravimus. Quae quum ita sint, jure videor contendere posse, ulcera, quae dicuntur syphilitica, qui hodie est artis nostrae status, a caeteris ulceribus discerni haud posse.

DE CURA ULCERUM SYPHILITICORUM.

Erraret, qui crederet, quia nulla sit ulcerum venereorum diagnosis, mercurialia in ea numquam esse adhibenda. Hoc tantum contendo, hydrargyrum ulceribus, quae habeantur venerea, haud applicandum esse, antequam aliis remediis haud ita periculosis non cedant.

In nosocomio Hamburgensi per plures annos omnes aegroti non modo ulceribus, sed etiam omnibus caeteris morbi venerei symptomatibus laborantes, sine hydrargyro adhibito sanati sunt. Non ignoro, multa esse, quae huic rationi opponi possint. Scriptores docent, morbum larvatum post X vel XX atque adeo XXX annos recrudescere posse; quorum sententia si vera est, nos annorum paucorum experientia ducti nostram probare non possumus. Qui nostrae methodo haud favent, semper dicere possunt, morbum sine mercurio sanari haud posse; si nulla enim redeant symptomata syphilitica, talem aegrotum syphilide numquam laborasse, si redeant, id quod saepe etiam in tractatione ulcerum factum esse ipsi vidimus, morbum haud fuisse sanatum. Sed num symptomata venerea numquam redierunt, hydrargyro dato? Multi fortasse contendere possunt, haec symptomata, id quod concedo, abusu mercurii oriri posse; sed nonne hinc apparet, multo melius esse symptomatibus syphiliticis levioribus mederi, qualia, si redeunt, semper esse solent apud aegrotos, qui nullum adhibuerant hydrargyrum, quam gravioribus illis, qualia apud eos saepius inveniuntur, qui hydrargyrum in usum vocarant? Illi tamen, qui mercurium dant, consuetudinem in subsidium vocant saeculorum, cum nos paucorum modo annorum experientiam laudare possimus; illi addunt, methodum sine mercurio saepius tentatam, sed semper relictam esse. At vere hoc dicere possum, experientiam saeculorum pro nobis, non pro illis pugnare; illis enim temporibus in omnibus nosocomiis multi diem supremum obierunt; qui vero ex orci faucibus exierunt et faedis tetrisque cicatricibus et debilitate remediis illis veneficis procreata laborabant. Nostro vero tempore, ubi aegros morbo venereo laborantes sine mercurii usu et tractari vidi et ipse tractavi, nemo moriebatur; sed aspectu gau-

dent sano illi aegri ,et, dum in nosocomio aegroti tractantur, et cum sani hoc relinquunt. Causa, cur tam saepe relicta sit methodus sine mercurio sanans, facile patet; multi ad mercurii usum redierunt, quia primum tentamen non celerem illum, quem expectaverant, successum habebat, vel certe non celerius instituta erat sanatio, quam sub mercurialium usu fieri solet; multi putant, methodum potiorem nil aliud esse nisi mercurialia relinquere; illa igitur non adhibuerunt, sed, quae necessaria sunt quoad diaetam, munditiem et caetera non animadverterunt.

Sed in hac dissertatione conscribenda non hoc fuit consilium nostrum, ut omnia argumenta, quae vel contra methodum sine mercurio sanantem, vel, quae pro illa afferantur, examinaremus. Optimum duximus, paucis modo de curandi methodo praemissis, aegrotorum nonnullorum, qui a nobis in nosocomio Hamburgensi tractati sunt, historias accurate narrare, et locis aptis, quae notanda videantur, adjungere.

Aegroti in nosocomium venientes, cum squalore et sordibus laborant, balneum recipiunt calidum, et ulcera eorum aqua pura abluuntur, et purgantur. Non solum autem prima die, sed dum morbus perdurat, munditiei summa gerenda est cura; saepius quotidie massa illa, quae exempli gratia circa genitalia secernitur, aqua abluitur, quae res, si nihil faciat ad sananda ulcera, certe impedit, quo minus peiora evadant et dilatentur. Aër sit purus, temperatus; pura sint lecti substrata, tegmenta et lintea; quod eo magis monendum est, quum antea, illae nosocomii partes, ubi syphilide laborantes jacebant, aërcın haberent impurum, summo tectae squalore, ut antequam sanatio perfecta esset, nulla munditiei cura haberi posset. Hodie illae nosocomii partes eadem gaudent munditie, qua caeterae, ut, si quis peregrinus, antea in aliis nosocomiis, ubi hydrargyrum adhibetur, versatus, eas videret, haud putaret aegrotorum syphiliticorum hanc esse stationem.

Aegroti syphilitici initio, quum admittuntur in nosocomium, quietem agunt; in lecto fere manere debent; sunt tamen plures exceptiones, ubi vel levitas morbi, vel ejus duratio, vel aegroti constitutio, vel quaecunque alia complicatio diversam poscunt tractationem. Si quietus est aegrotus, ulcera se invicem haud tangunt,

gunt, nec ullus oritur contactus vel frictio cum partibus sanis, qua re recentes saepe oriuntur excorationes et ulcera.

Si nulla complicatio adest, quae diaetam parciorem impediat, haec observanda est primo tractationis tempore; ubi morbus vero diminuitur, major nutrimentorum copia aegroto datur. Initio aegroti accipiunt panis albi uncias duas, ter de die jusculum ex aqua et farina paratum, olera levia (*leichte Gemüse*) pro anni temporibus varia. Ad bibendum aegrotis datur decoctum avenae. Cibi e carne parati, potus e decocto humuli lupuli et spiritus vini aegrotis, postquam per duos vel tres hebdomades decubuerunt, saepissime conceduntur.

Tractatio therapeutica simplicissima est. Solutio salis anglicani aegrotis interne datur, rarius acidum nitricum. Remedia in ulcera externe adhibita applicantur vel sub forma fluida aut ut gargarismata aut ope syringis, lintei carpti vel lintei, quod usu molle factum est; inter fluida vulgo applicantur aqua frigida, aqua saturnina, aqua calcis, acetum vini, acidum nitricum dilutum, solutio zinci vel cupri sulphurici, solutio lapidis infernalis, decoctum ulmi; vel sub forma unguenti, ut unguentum cerati simplicis, unguentum zinci, unguentum digestivum vel unguentum nigrum (ungu. zinci ℥ß bals. peruv. ʒj. lapid. infern. ℈j.) Cataplasmata emollientia quoque et hirudines saepe in usum vocantur.

Nullum horum remediorum, si nihil prodest, diu continuandum est, sed plura inter se mutanda sunt; alias enim ulceris eodem stimulo semper affecti sensibilitas primum diminuitur et dein omnino tollitur, ulcusque immutatum perdurat.

Pro vario ulcerum loco graduque tractatio varia est. Si ulcera locum habent in superficie interna praeputii ad glandem ejusque coronam, ad frenulum, citius crescunt pejoraque evadunt; applicatio remedii quod in usum vocatur, haud ita facile fieri potest, et in hoc igitur casu imprimis non eadem tractatio semper probanda est. Si praeputium est secundum naturam, et linteum carptum et linteum molle vel sicca, vel unguento tecta, vel fluido madefacta inter praeputium glandemque immitti possunt; si vero tumet, phimosisque adest incompleta, syringis ope fluida injicienda sunt. Interdum medicamina applicata, praeputio retracto, emplastri ope firmari possunt, interdum phimosis ita vehe-

mens adest, ut ulcera sibi ipsis commissa in meliorem statum reduci non possint nisi vel operatione phimoseos vel circumcisione.

Ulcera quoque oris, faucium nasique ob locum propriam requirunt tractationem. Hic enim remedia semper applicantur injectione vel gargarismate; interdum penicelli madefacti ope ulcus horum locorum tangitur. Ulcera superficiei externae totius corporis nullo modo peculiari, sed ut ulcera in universum tractantur.

Excoriationes, si quae adsunt, aquae frigidae, quae inter glandem et praeputium injicitur, semper fere cedunt; in caeteras vero corporis partes lintei tenuis mollis ope aqua applicatur. Cui tractationi si haud cedunt, unguento zinci vel alio remedio exsiccante celerrime sanari solent. Si ulcera levioris gradus sine ulla mutatione diu durant, lapis infernalis, unguentum digestivum ea omnino mutare possunt, et, granulationibus sanis provenientibus, remedia simplicia rursus in usum sunt vocanda. Ulcera magis inflammata calorem amant, et decocto ulmi, aquae saturninae, vel eorum mixtioni calefactae, supra quam, ut calor persistat, cataplasma applicatur emolliens, saepissime cito cedunt. Si ulcera talia ad coronam vel collum glandis cum phimosi haud cito cedente, dum ulcera in dies pejora evadunt, adsunt, operatio phimoseos instituenda est, ne, si praeputium et glans se invicem fricant, ulcera pejoris fiant indolis; si vero praeputium, post injectiones per aliquot dies factas, retrahi potest, et induci aliquid potest, quo contactus superficierum ulceratarum impediatur, operationis necessitas haud adest. Ulcera gangraenosa, fomentationibus et cataplasmatibus emollientibus tractata, cito meliorem nancisci faciem solent; interdum tamen illis remediis nil efficitur; tum remedium digestivum suppurationem cito procreat benignam, cujus ope, postquam corrupta materia brevi tempore secreta est, granulationes sanae proveniunt. Interdum ulcera, quamquam omnia remedia, quae opem ferre solent, adhibita sunt, tamen immutata perdurant, subitoque sine causa cognita, forma mutata, sanantur; interdum statim ab initio meliora fiunt, sed subito sanatio quasi inhibetur, et nulla oritur ulceris mutatio; in quo casu causticum, praesertim lapis infernalis, adhibitum, saepe optimum habet effectum.

In faucibus, ore nasoque excoriationes ulceraque minoris momenti garga-

rismati simplici ex aceto vini cum aqua pura diluto saepius cedent; si graviora sunt, hirudines ad glandulas colli tumidas, attactus ulcerum cum argento nitrico fuso, gargarismata ex acido nitrico, aqua vel decocto avenae diluto, cataplasma emolliens circa collum auxilium ferre solent.

CASUS PRIMUS.

1829 Maj. 29 C. v. D. pistor 29 annórum, consitutionis robustae, se numquam antea syphilide laborasse affirmat, sed ante quatuordecim dies post coitum puncta rubentia, prurientia et superficiei internae praeputii et glandis, quae dein in papulas mutata fuerint, observasse. Quum per nonnullos dies durassent, pus emiserunt. Domi nulla adhibuit remedia. Quum in nosocomium aeger venisset, exploratio prima hunc fere statum invenit:

Praeputium erat prolongatum, tumidum, rubriori colore inflammatum, ex apertura anteriori mucus viride-flavescens effluxit. Ut glandem viderem, praeputii retrahendi institui tentamen, id quod haud sine aegroti dolore et meo labore successit. Superficies glandis ejusque corona et superficies interna totius praeputii multis tectae erant ulceribus, forma rotunda, diametri lineae unius usque ad lineas tres vel quatuor, fundo puro marginibus praemorsis profundiori, ambitu haud abnormi. Caeterum aegrotus sanus esse sibi videbatur. Postquam locus affectus a muco et squalore aqua tepida liberatus erat, praeputium retrahebatur; aegrotoque decocti ulmi et aquae saturninae partes aequales ad injiciendum datae sunt. Totum membrum cataplasmate emolliente tegitur. Interne ut vulgo sal anglicanum datum est. Per plures dies sequentes praeputium retrahere haud tentavi, ne irritatione, quae hac re evitari nequit, phimosis oriretur perfecta. Prima vero vice, qua aegrum vidi, retraxeram, ut scirem, qualis esset status, qui aderat, morbosus. Post octo dies inflammatio praeputii omnino fere aberat, muci effluxus multo erat diminutus. Praeputio sine ulla difficultate retracto, maxima ulcerum pars jam erat sanata; quae adhuc aderant unguento zinci linteo carpto adfixo tegebantur, et post octo dies aegrotus omnino sanus sine ullo morbi praegressi vel ulceris signo nosocomium reliquit 16 Juni 1829.

CASUS SECUNDUS.

1828 December 3 J. V., scrinarius 21 annorum, qui usque ad hoc tempus numquam venereus fuerat, propter phimosin et ulcera in nosocomium admissus est; quatuordecim antea dies infectus erat, et statim dein mercurium sublimatum corrosivum et interne et externe sine ulla utilitate in usum vocaverat.

Exploratione prima praeputium rubrum tumidumque erat, materia viridescens, male olens, largiter effluxit. Sub praeputii reductione, quae valde doluit, retulit morbi initio ulcera ad frenulum parva indolentia modo adfuisse, sed quum operas semper instituisset, magnitudine valde aucta esse et dolores secum tulisse; dein praeputium tumidum evasisse, quod per octo ultimos dies reducere nequisset. Ulcera aderant ad latus utrumque frenuli diametri duarum fere linearum, fundum habentia lardaceum mollem, marginibus praemorsis profundiorem, haud tamen supra epidermidem elevatum. Ad superficiem praeputii internam nonnulla erant ulcera leviora. Quum aquae ope glandem lavassem praeputiumque rursus supra glandem retraxissem, aquam calcis ad injiciendum quaqua hora dedi. In lecto erat aegrotus et sal anglicanum ei solito modo datum est. Post nonnullos dies inflammatio praeputii valde diminuta est; et reductio sine ullo molimine institui potuit; ulcera vero non mutata erant. Inde ab hoc tempore quavis die reductio instituebatur, et postquam aquae frigidae ope mucus materiesque abluta erant, inter praeputium glandemque induxi linteum molle, decocto ulmi madefactum. Versus finem mensis Decembris materia flava, cujus magna copia initio secreta erat, omnino fere evanuerat, ulcera vero, quae initio post decocti ulmi applicationem a fundo elevari videbantur, per quatuordecim ultimos dies nullam passa erant mutationem. Quum saepe observassem, ulcera per idem remedium diu usurpatum haud affici, sensibilitate eorum fortasse diminuta, praescripsi, ut omni hora injectiones aquae saturninae sub praeputio fierent, quod etiam bonum habuit effectum, et mox ulcera omnino fere sanata erant. Eodem vero tempore aegroto permisi, ut ambularet, qua licentia ita abusus est, ut post nonnullos dies recentes adorirentur excoriationes praeputii, quae tamen, quiete in lecto observata et aqua frigida applicata, post aliquod tempus omnino sanabantur, ita ut die 3 mensis Februarii ipse petens nosocomium sanus relinqueret.

CASUS TERTIUS.

1828 13 November I. M. operarius 30 annorum. Jam ante duos annos in nosocomio nostro propter gonorrhaeam tractatus est. Nunc per decem hebdomades iterum gonorrhaeam perpessus est, ad quam ulcera accessere; ad quae mala tollenda nullo usus fuerat remedio. Ad orificium urethrae adest ulcus magnitudine lentis, fundo lardaceo duro; fundus marginibus est profundior; margines sunt praemorsi, dentati, elevatiores quam epidermis, ad externa reclinati, rubriori colore ornati. Ulcus superficiale e diametro quatuor linearum in interna praeputii lamella.

Ulcus in interno femoris dextri latere, ad internum ejus parietem, diametrum habens dimidii pollicis, fundo laete rubro, bene granulante, pure bono tecto, marginibus et supra fundum et supra epidermidem elatis, paulo praemorsis.

Ulcus in sinistro femore paulo minus, caeterum ejusdem aspectus. Hoc ultimum utrumque crusta tectum erat. Praeterea psoriasis adest, quae ex sordibus exorta esse videtur.

Praeter tractationem solitam balneum tepidum quotidie repetendum et aquam frigidam ad ulcera applicandam ordinavi.

Quum quatuordecim fere dies aegrotum ita tractaveram, ulcera femoris atque in interna praeputii lamella sanata erant, sed ulcus ad urethram, etsi non majus factum erat, ambitumque rubrum partim amiserat, multas monstravit granulationes luxuriantes, quae ultimis diebus omnino plane non mutatae erant; pluribus vicibus igitur lapide infernali tangebatur ulcus ad urethram, gonorrhaea secundaria immutata perduravit, psoriasis aucta erat. Injectiones solutionis zinci sulphurici (gr. viij aquae fontanae ℥viij) ordinavi, balneaque ex farina tritici. Octo dies serius ulcus ad urethram sanatum erat, rubedo tamen adhuc per tres fere hebdomades perduravit, per quod tempus semper aqua frigida humectabatur. Psoriasis adhuc per mensem duravit et ultimo mensis Januarii die sanus abiit et vicibus ministri aegrotorum adhuc in nosocomio fungitur.

CASUS QUARTUS.

1828 Aprilis 27 I. D. Lanius, robustus jam saepius affectus, ultima vice ante duos annos Schwerini ulceribus laboraverat membri virilis, quae, ut refert

aegrotus, unguentis mercurialibus et mercurio dulci interne dato cesserunt. Ab hoc inde tempore optima semper usus est valetudine, donec, coitu praegresso, ante quatuordecim dies in margine dextro orificii anterioris urethrae exorta est papula, qua rupta, ulcus aderat. Dr. *H.*, qui aegroto consilium dedit, ei pilulas e mercurio sublimato corrosivo et unguentum neapolitanum praescripsit. Domi hydrargyri sublimati corrosivi jam adhibuit grana octo, sed quum malum in dies augeretur, tumorque inguinis sinistri ortus esset nosocomii opem rogavit aegrotus.

Praeputium oedematose-tumidum erat itaque doluit attactu, ut haud plus quam dimidio glandis pars detegi posset; quo facto, ulcus ad latus sinistrum orificii anterioris urethrae, commissuram orificii et superiorem et inferiorem superant, oculis sese praebuit. Ulcus habuit longitudinem quatuor fere linearum, latitudinem inter duas atque tres, inque ipsam urethram sese tendit. Ambitus erat ruber, tumidus, margines albidiores fundo haud magis elevati, fundus ipse erat inaequalis, colore cinereo-albescente ornatus. Dolores, qui semper vehementes aderant, levissimo attactu ad summos cruciatus augebantur. In regione inguinali sinistra glandula tumida, integumentis universalibus quoad colorem haud mutatis, haud dolens digitis tangentibus sese praebuit. Sub lotio mittendo dolores haud augebantur, noctu vero dolores diurnos multum superabant. Cephalalgia aderat remittens, lingua, pulsus et caeterae res, secundum quas medicus statum aegroti morbosum determinare consuevit, normales sese habuerunt.

Aegroto praescripsi ad usum internum mixturam salis anglici, et decoctum ulmi tepidum ad injectiones altera quaque hora faciendas. Totum membrum virile cataplasmate emolliente texi. Hirudines numero duodecim et dein cataplasmata emollientia in bubone applicata sunt. Quietem quoque et diaetam solitam observavit aeger.

7 Maj. Per octo primos dies nihil in melius mutatum est; ulceris fundus vero tectus erat muco viride-flavescente, qui ablui non potuit; bubonis quoque adortus erat dolor unius prasertim loci, qui pressione valde augebatur. Lapide infernali ulcus tetigi et linteo carpto sicco deligavi; lanceolae ope punctio in mediam bubonis partem instituta est, qua re guttula tantum puris evacuabatur. Bubo quoque cataplasmate emolliente tegebatur. Dum bubo haud dolet, nullum adhibeo remedium, sed ut primum advenit dolor in locum maxime dolentem

punctionem instituo profundam lanceolae ope; qua re, si sat profunda erat punctio, puris guttula evenit; et, si dein bubo cataplasmate emolliente tegitur, per octo vel quatuordecim dies saepissime sanatur. Interdum prima vice pus haud apparet; in hoc tamen casu cataplasma emolliens applicatur, et vulnere post unum vel duos dies sanato, recens instituitur punctio, id quod quoque cum successu tertia et quarta vice repetii. Optimum censeo, bubonem semper aperire, quandocunque suppurationis etsi minima est suspicio; initio, quo bubo oritur dolens, hirudinibus et cataplasmate emollienti applicatis saepe cedit, sed, si haud mox fit, doloresque vehementiores adveniunt, pus semper adest, et tum certe melius est, pus statim evacuare, quam resorptionis instituere tentamina, quae, si non succedunt, tam saepe totius glandulae suppuratione integumentorum procreat perniciem atque corruptionem et taediosam illam mensium possit tractationem. Quum in nosocomium Hamburgense adveni, *Günther* Dr. med. et chirurg., qui per annum mihi collega erat carissimus, et cui antea cura virorum syphiliticorum credita erat, illam, quam jam diu adhibuerat tractationem, mecum communicavit.

10 Maj. Post tres dies nulla alia aderat ulceris mutatio quam magnitudine, quae fere duplici auctum erat; retractio praeputii adhuc difficilius quam antea instituebatur. E vulnere bubonis omnino non dolentis paullulum puris effluit. Aeger queritur praesertim de doloribus nocturnis, qui somnum omnino impediunt. Quum applicatio argenti nitrici aegroti statum haud meliorem fecisset, corruptique fundi suppurationem haud procreasset, sed potius inflammationem ambitus praeputiique auxisset, ejus loco decoctum malvae cum laudano liquido Sydenhami praescripsi, quod tepidum circa membrum virile applicatur et cataplasmate emolliente tegitur. Vespere aegroto dedi laudani liquidi Syd. guttas xxv aquae foeniculi drachmas ij.

Noctu per nonnullas dormivit horas, sed dolores iidem perdurant. Noctes sequentes, quamvis repetitur laud. liq. Syd. vespere, insomnes sunt. Dolores iidem.

14 Maj. Ulcus unguento zinci cum opio deligavi (unguenti zinci Uncia, laud. liquid. Sydenh. Drachma), sed sine ulla mutatione; et pulveres Doveri (grana decem) quater de die dati nec quietem nec somnum attulerunt. Bubo omnino erat sanatus. Aegrotus querebatur de virium collapsu; diaeta lautior ei concedebatur. Balneum tepidum quotidie repetitum est.

Tres dies serius praeputium magis tumidum inflammatumque quam umquam; levissimo attactu dolores jam vehementes augebantur; id glandis, quod apparuit, fundum habuit excavatum, muco denso lardaceo firmiter adfixo. Valde inaequalis erat fundus, in nonnullis locis profundior, in nonnullis elevatior; margines et ambitus haud apparuerunt; magna puris foetidi copia inter glandem et praeputium secernebatur. Facies aegroti erat pallida, tunica sclerotica rubra, lingua albescens, paullum sicca, alvus normalis, pulsus parvi et accelerati. Anorexia et infomnia.

Maj. 20. Quum malum a primo inde die, quo in nosocomio tractabatur aeger pejus evasisset, optimum duxi ita agere, ut liber ulceris esset adspectus, qua re tractatio melius et ita institui posset, ne partes vicinae omnino corrumperentur; ad quem finem circumcisionis operationem facere constitui. Postquam, operatione phimoseos solito modo peracta, cultri ope praeputium omnino abscissum et arteriolae nonnullae ligatae essent, deligatio linteo carpto sicco emplastris adfixo facta erat. Aeger eodem die dolorum sentiit levamen, noctuque per plures dormivit horas; post duos dies tumore oedematoso penis adveniente, emplastra resecta et fomentationes tepidae ex infuso herbarum aromaticarum applicatae sunt. Die postero tumor decreverat et linteum carptum facile remotum est. Ulcus glandis fundum habuit inaequalem, valde excavatum, muco lardaceo firmo tectum. Margines praemorsi, reclinati, epidermide elevatiores locos nonnullos caeruleo-nigros habuerunt. Ambitus valde inflammatus. Ulcus penis, ubi praeputium situm habuerat, purum, bonas praebuit granulationes. Ulcus glandis dolores attulit leviores tamen quam antea; appetitus melior, lingua pura, alvus naturalis, somnus bonus.

30 Maj. Hanc tractationem per octo dies continuavi, et hoc quidem tempore ulceris glandis fundus purior prope ad margines jam plures habuit granulationes sanas, sed in media parte impurus erat nigerque. Unguento digestivo deligavi, dum ulcus penis, jam a marginibus cutem procreans, fundum habens satis elevatum unguento zinci tetigi. Totum membrum virile cataplasmate emolliente involvi.

Juni 4. Ulcus glandis aspectum habuit omnino purum, granulationes praebuit sanas, et e marginibus cutis prolongatur. Unguento zinci deligavi, aegrotoque

toque permisi, ut lectum relinqueret. Penem abdomini appropinquavi, ne sub motu ulcera frictione laederentur. Nonnullis diebus postea in pectore et extremitatibus aegroti ortae sunt maculae parvae, cuti proeminentiores, in media parte elevatae, albidae, marginibus rubris. Lineam fere habuerunt quoad diametrum. Dolores faucium quoque adsunt; glandulae colli lateris dextri paullulum tument, et inspectione faucium tonsilla dextra tumida in media parte ulcus diametri duarum fere linearum habet.

Balnea farinacea quotidie adhiberi jussi; ad tumidas colli glandulas duodecim applicavi hirudines; dein cataplasmata emollientia circa collum aegroto dedi; eique interne porrexi ut gargarisma aceti vini uncias duas, aquae fontanae duodecim.

Ulcus glandis jam nono mensis Junii die sanatum erat; substantia haud omnino restituta erat, sed in latere glandis aliquid deesse apparuit; eodem tempore vulnus circumcisionis operatione procreatum sanatum erat. Dolores faucium leviores, tumor glandularum minor; ulcus tonsillae margines accepit albidiores, fundus elevatior granulationes sanas demonstravit. Quoad exanthema adhuc immutatum perduravit. Post plures dies loca, ubi nonnullae maculae fuerant, cuticulam amiserunt, in aliis locis recentes advenerunt maculae.

28 Juni. Post quatuordecim dies eruptio exanthematis inhibita erat, et ab hoc inde tempore in dies decrevit ejus vestigium, quod modo debile adhuc persistit. Ulcus tonsillae omnino evanuerat, sed dolores vehementissimi exorti erant totius capitis, praesertim frontis et nuchae, somnus omnino impeditus erat, et timor maximus aegrotum occupavit, cum nox appropinquaret. Opium nil effecit, aqua frigida et glacies in vesicis capiti applicata momentaneum modo procreaverunt levamen. Examine morbi aegroti saepius repetito, nullum horum dolorum causam indagare potui, dum mihi dixit aeger, se ante plures annos doloribus gingivae laborasse, qui vesicatoriis cessissent; vesicatoria applicavi et dolores subito evanuerunt. Jam aegrotum dimittere volui, quum exulcerationes scroti, in ulcera superficialia mutatae, advenissent. Unguento zinci haec cito sanata sunt; sed fluxus oriebatur ex auri dextra, cujus mali causam putavi hanc solum fuisse, quod aeger pedibus nudis ambularet; pedibus enim tectis, sine ullo alio remedio aurifluxus evanuit, ideoque reliquit aeger nosocomium (28 Juli) perfecte, ut videbatur, sanatus. Medio mensis Octobris illum aegrotum, optima gaudentem valetudine, vidi.

CURRICULUM VITAE.

Ego *Isaac Trier*, Havniensis, natus sum calendis Novembribus anni MDCCCII, patre optimo *M. Trier* negotiatore, matreque dilectissima *Friderica* e gente *Abrahamson*, confessioni judaicae addictus. Quum pater optaret, ut easdem, quas ipse colebat, disciplinas discerem, harum literarum elementis et domi et in schola Havniensi, cui nomen est a virtute civium (Bürgertugend), quantum fieri solet, eruditus sum. Quum vero annos septendecim natus in eo essem, ut negotia, quae mercatori propria sunt, inciperem, patrem enixe rogavi, ut, hoc vitae genere posthabito, bonis literis artibusque operam navare mihi permitteret. Ab hoc inde tempore ope magistri mei optimi semper venerandi *Flemmer*, sancti ministerii candidati, discendis linguis latinae et graecae, quae usque ad hunc diem mihi omnino fuerant incognitae, operam dedi, ita ut post tres annos, examine artium praegresso, universitati Havniensi adscriptus sim. Anno sequente praelectionibus auditis Professorum Cel. *Thorlacius*, *Petersen*, *Thune*, *Werlauf*, *Sibbern*, *Oersted*, *Möller*, *Degen*, examen, quod dicitur, philologico-philosophicum subii; quo tempore, quum studia medica et chirurgica coepissem, praelectiones audivi Professorum Cel. *Schumacher* et *Withusen* anatomiam, *Herholdt* physiologiam, exponentes; *Oersted*, *Thal* chemiam, *Collsmann*, *Howitz* pharmacologiam et materiam medicam, *Fenger* et *Callisen* chirurgiam, *Saxtorph* artem obstetriciam, *Bang* therapiam docentes; eodem tempore nosocomia frequentavi et Fridericianum et commune, et in illo quidem *Bangii*, in hoc autem *Thalii* institutionibus clinicis per quinque annos usus sum; per annum ipse ut chirurgus adjuvans in nosocomio habitavi. Dein examine, quod dicitur chirurgicum, praegresso, candidatorum ordini adscriptus sum. Eodem tempore bellum quum incepisset, Petropolin me conferre volui, ut chirurgus militaris essem; sed fausta

sors rem ita gerebat, ut in nosocomio Hamburgensi chirurgi adjuvantis munus mihi obtingeret, quo jam per annum et sex menses functus sum; quum vero praeter alios aegrotos viri illi, qui syphilide laborant, curae meae crediti sint, *Frickium* protochirurgum dexterrimum, experientissimum, mihi summe venerandum rogavi, ut, quae de ulceribus venereis observassem, ea in hoc opusculo proponere mihi liceret.

Ut vero summum studiorum meorum finem, doctoris sc. medicinae et chirurgiae gradum assequerer, Berolinum me contuli, ibique ab Illustr. *Hegel*, h. t. rectore magnifico, in studiosorum numerum receptus, ab Illustr. *Wagner* autem, h. t. Decano, facultati medicae adscriptus, omnibus ad solemnem hunc actum necessariis examinibus me subjeci. Quibus superatis, nunc spero, fore, ut, defensa hac dissertatione cum adjunctis thesibus, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

T H E S E S.

I.

Sectionem lateralem instituens instrumenta dilatatoria numquam applicare debet.

II.

Hydroceles operatio incisione peracta sola bona est.

III.

Stricturae urethrae caustico numquam tractandae sunt.

IV.

Aqua frigida aeque ac mercurius in luem veneream est remedium specificum.

V.

In febribus methodus exspectativa est optima.